

Dissertatio medico-legalis inauguralis, de pulmonum in aquis innatatione vel subsidia infantis recens nati ... / ex auctoritate ... D. Jo. Nic. Seb. Allamand, ... submittit Arnoldus van de Laar, ... Ad diem 17. Aprilis MDCCLIX.

Contributors

Laar, Arnoldus van de.
Allamand, Jean Nicolas Sébastien, -1787.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Joannem Bos, [1759]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/w5pjbcnp>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICO-LEGALIS
INAUGURALIS,

DE

PULMONUM IN AQUIS
INNATATIONE VEL SUBSIDEN-
TIA INFANTIS RECENS NATI.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

D. JO. NIC. SEB. ALLAMAND,

A. L. M. ac PHIL. DOCT. PHILOSOPHIAE ET MATHESEOS
IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARI.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
rite ac legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit

ARNOLDUS VAN DE LAAR,
HAGA BATAVUS.

Ad diem 17. Aprilis MDCCLIX. hora locoque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOANNEM BOS, 1759.

DISSERTATIO MEDICO-LEGALIS
IN A U G U R A L I S

DE

PULMONUM IN AQUIS
INNATATIONE VEL SUBSIDEN-
TIA INIANTIS REGENS NATI

Q U A M

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

EX Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JO. NIC. SEB. ALLAMAND.

A. M. M. P. M. DOCT. PHIL. DOCT. P. M. DOCT. P. M. DOCT. P. M.
IN ACADEMIA LUGD. BAT. PROFESSOR ORDINARI.

N E C N O N

Amplicius Sensus Academicus Consensus
& Nobilissimus Facultatis Medicæ Doctor,

PRO GRADU DOCTORATUS.


Summius in Medicina Honoribus & Privilegiis
the ac legimus conspectus.

Examinis Rectoris

ARNOLDUS VAN DER LAAR.

H A G A B A T A V U S.

Ad diem 17. Aprilis MDCCCLX. per hocque



LUGDUNI BATAVORUM.

Apud JOANNE M. B. O. S. 1750.

P A R E N T I
OPTIMO ET CARISSIMO
HENRICO VAN DE LAAR.

*Hanc dissertationem ea,
qua par est reveren-
tia Sacram Facit.*

A U C T O R.

P A R E N T I

OPTIMO ET CARISSIMO

HENRICO VAN DE LAAR.

Hanc dissertationem ea
que per eum scripta
in Sacram Fidei.


A U C T O R.



DISSERTATIO MEDICO-LEGALIS
INAUGURALIS

DE

PULMONUM IN AQUIS IN-
NATATIONE VEL SUBSIDEN-
TIA INFANTIS RECENS NATI.



§. I.



MEDICINA LEGALIS sive Forensis, est scientia consortio humano quam utilissima, nec minus ac Medicina clinica: Nam sine ejus cognitione variis in delictis fontes poenas non accipere, & innocentes justii pronunciari possunt: Quamquam pro dolor! pauci sunt Medicos inter & Chirurgos, qui hac in parte requisitam possident,

6 DISSERTATIO MEDICO-LEGALIS

eruditionem, licet Medici periti officium sit, ut sua inquisitione Judicia criminalia allevet, ac Judicis conscientiae & decisioni subveniat. Utque hoc rite perficiatur, necesse est, ut Medicus forensis etiam sit bonus Philosophus, & praesertim exercitatus in Philosophia rationali, qua rite connectere, comparare, concludere, & Judicare calleat, deinde Philosophia morali, circa cognitionem animorum, morum, inclinationum, passionum diversarumque aliarum mentis humanae affectionum; porro Philosophia naturali, qua variarum rerum ad Naturam universi spectantium qualitates, vires, relationes & efficacias bene perspectas habeat, denique minime ignarus sit Juris naturae, ut ex socialitate humana & officiis hominum variis in casibus recte colligere & decernere queat, quid Justum vel Injustum? quid verum vel Falsum? Quid Bonum vel Utile? Quid Salubre vel Insalubre existat? Medicina igitur forensis est conscientiosa decisio diversorum casuum, in vita communi obviorum ad Forum politicum aut civile delatorum, ex veris fundamentis rationis & experientiae medicae formata & declarata, maxime in subsidium juris criminalis & forensis, defensionem veritatis imprimis in honorem Altissimi & emolumentum Proximi directa. Nam

Salus proximi & decus artis suprema Lex est.

§. I I.

Quis autem Mortalium mecum non agnoscit, hic apertum & latissimum campum variorum existere casuum, quorum multi raro, alii autem fere quotidie contingunt? uti de generationis negotio, morbis simulatis & dissimulatis, poenis corpori inflictis, venenis, vulneribus aliisque. Sed inter tot tantasque diversas facinerosorum malitias nulla est detestabilior & magis abominanda, quam Infanticidium; & simul (quod dolendum sit) nimis frequens. Crimen hoc atrox semper fere locum habet in spuris atque clandestinis partibus,

bus, & ut tales scelestae matres furtivam venerem celare, & quam metuunt, ignominiam, declinare valeant, tenerrimos sanguinis sui flores & Infantulos truculenta facie occidere, Jugulare, suffocare imo vitam, quam nondum hauserant, adimere solent. Hinc merito dixit LUCRETIVS *Libr. v.*

*Tum porro puer, ut saevis projectus ab undis
Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni
Vitali, auxilio, cum primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut aequum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.*

§. III.

Liquet igitur, quid sit Infanticidium? scilicet dicitur stricto atque forensi sensu. Quando Vitalis foetus recentissime natus, vel adhuc in utero materno occlusus, causâ aliquâ violentâ externâ vel internâ ex instituto occisus fuerit. Differt ideo a reliquis Homicidiis, quia nasciturus, vel nascent, ob singulares aliquas organorum & sibi proprias condiciones injurias patitur mortiferas, nunquam postea obventuras; Differt autem ab abortu, quod ille nihil aliud sit, quam foetus imperfecti vel immaturi exclusio. Itaque, si talis mulier clanculum parturiens in hujus criminis suspicionem veniat, necesse est ut judices illud indagent ut justitiam exercent. Hunc in finem solent ut eruatur veritas tales foetus accuratae & conscientiosae tradere inquisitioni Medicorum atque Chirurgorum, ut ex eorum fideli indagatione constet:

1°. An foetus vivus an mortuus exclusus fuerit?

2°. An revera manu violenta occisus fuerit?

Nam maleficae illae matres semper fere se excusant, dicendo foetum mortuum natum fuisse, praecipue ubi aliis circumstantiis non evidenter pateat, foetum necatum esse.

§. IV.

§. I V.

Ut Medici & Chirurgi suo officio & conscientiae in illa inquisitione recte & probe satisfaciant, attente & accurate debent procedere, ne ab una parte innocentes aggravent, vel fontes levant: Et ab altera, ne iudicibus, Justitiaeque patronis veritatem obvelent. Hunc in finem necesse est sequentia contemplari:

- 1°. An foetus sit legitimus, recens & perfectus? nec ne?
- 2°. An externe vel interne aliquas laesiones habeat?
- 3°. An mors secuta est acceptis laesionibus? vel an eo tempore mortuus fuerit?
- 4°. An illae Violenta manu vel partu difficili, aliisque circumstantiis illatae fuerint?
- 5°. Si nullae oculis occurrant laesiones tunc quaestio oritur, an vivus aut mortuus natus sit?
- 6°. An certis signis determinari potest, foetum vivum mortuumve natum esse?
- 7°. An signa illa vivi vel mortui nati simul ostendant foetum enecatum esse? nec ne?

§. V.

Haec omnia, quae hic in cadavere foetus sunt indaganda, in specie inquirere, quisque facile videbit nec Tempus, nec Scopum, nec Limites hujus speciminis admittere. Praeterea animi mei non est de Infanticidio differere, sed tantummodo in specie de famoso illo signo Infanticidii ex subsidentiâ vel innatatione pulmonum aquae injectorum desumpto, dijudicando foetum mortuum vel vivum natum fuisse; sicco igitur pede transgrediar varia huc pertinentia, ne a proposito disgrederiar: solummodo hocce signum pro viribus meis juvenilibus examinabo, & ne temere progrediar, nunquam animum meum deflectam ab illo quod Clar. de VOLDER dixit, scil. *Perferutabor omnes mentis meae recessus,*
reji-

rejiciam omnia ea, quae quacunque etiam ratione aliquid habent incerti, nec iis utar pro fundamentis.

§. V I.

Varii & merito Doctissimi Viri hocce experimentum Innantis vel subsidientis pulmonis pro explorato signo vivi aut mortui nati venditaverunt. Alii autem non sine majori ratione incertitudinem ejus ostenderunt. Hic magna quaestio ab omni tempore fuit inter Medicos, & utrimque multa protulerunt experimenta, multasque observationes, (sed dolendum fane!) quod multi Doctissimi Viri saepissime ex experimentis rite institutis atque observationibus, conclusiones forment, quae ut nimis generales omnino limitandae sunt, melius fuerat semper ante oculos habere quod CICERO de Natura Deorum ad Brutum inquit. *Quid tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantia; quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit & cognitum, sine ulla dubitatione defendere?* Nam in gravi & difficili quaestione non dedecebit medicum, doctum licet justum aliquot temporis spatium exposcere, ut consultis auctoribus sententiam ferat, nam non raro in Medicina legali

Quaerit delirus, quod non respondet Homerus.

§. V I I.

Ex praemissis facile liquet, quid praecipue sit indagandum in foetus cadavere, ut eruatur criminis veritas? Hoc scilicet tantummodo; an vivus, an mortuus fuerit foetus, eo tempore, quo laesiones mortiferas passus fuit. Tali nunc in casu ubi externe vel interne visibiles laesiones occurrant, facillime tum patebit eo tempore vixisse, quum nempe sanguis extravatus sit, vel quod aliquo corporis loco sugillationes sive Ecchymoses se ostendunt, quae nunquam deficienti circulatione, uti in cadaveribus oriri possunt, sed saepissime nullae

a Medicis & Chirurgis laesiones, licet accuratissima indagatione, invenire possunt, saltem sensibus externis non patent. Quia teneri illi Infantuli Variis & innumeris invisibilibus modis vitâ destitui possunt, quos enumerare nec opus, nec utile est. Ponamus igitur, rem eo modo se habere, Quod foetus sit legitimus, recens & perfectus, nullasque visibiles ostendens laesiones, an tunc aliis & certis signis distingui possit, foetum vivum aut mortuum natum esse? ut probabilitas quaedam vel suspicio eruatur, crimen perpetratum esse? de illa quaestione ulterius inquiram, nam hunc in finem solent Medici & Chirurghi experimenta cum pulmonibus e corpore excissis instituere.

§. VII I. Antequam contemplaturi sumus rationem & valorem Innantis vel subsidientis pulmonis in Infanticidio, indagando foetum vivum vel mortuum natum esse, necesse est primo inquirere, quatenam Regulae sunt observandae, ut experimenta cum pulmonibus rite instituantur; Nam his neglectis, nullius momenti sunt & pro fundamento nullomodo assumi possunt, atque non dubito, quin praecipua Controversiarum causa sit, quod auctores non accurate observent & indagent.

1°. An Tentamina rite sint instituta?

2°. An Conclusiones ex iis formatae non sint nimis generales aut speciales?

Nam plerumque diversarum sententiarum Auctores ab utraque parte tentamina & observationes adducunt suam sententiam sustentanda, Alterutrum autem has non accurate observasse oportet. Experimenta quippe vel observationes semel tantummodo rite instituta nunquam postea fallunt: Nam eodem modo & simili subjecto capta eosdem effectus semper producant, sequentes Regulas igitur praescribemus: si aliquis experimenta cum pulmonibus ex cadaveribus hunc in finem excissis vult instituere, (omnia, quae apud Auctores invenio & cum his non conveniunt, nullomodo pro argumento adducam tanquam requisitas dotes non habentia, quapropter
suo

suo loco sunt relinquenda, nam forte erraverunt observatores, aut aliter non satis accurate ea in lucem ediderunt.)

§. I X.

Sequentes Regulas ideo pro norma assumimus, quae accurate indagari & observari debent, priusquam experimenta alicujus momenti erunt.

PRIMA REGULA. *An nulla obstacula in ore, naribus, faucibus, glottide, & aspera arteria inveniendae sint, quae ingressum aëris impedire potuerunt.* V. G. Tumores & Intumescendae Glandularum oris, Faucium, &c. Concretio Glottidis, vel quod praecipue hic locum invenit, tenax mucus in aspera arteria, Bronchiis & Vesiculis aëriiferis Pulmonum haerens, obstructions Varias Bronchiorum a spasmodica constrictione, vel materia quadam Heterogenea ortae & forte adhuc multa alia mala, quae Respirationi obsistere queant. Quapropter hisce in casibus ex subsidente pulmone non valeret conclusio, foetum ante partum defunctum esse, imo Foetus hisce malis vel uno eorum correptus, aliquamdiu anhelare valet, antequam suffocatur, cujus pulmo aquae injectus pro parte innabit, pro parte autem submerget. Si modo in Frustulis disscindatur.

SECUNDA REGULA. *An Pulmones recentes & a putredine immunes sint?* Nam omnes auctores fere concedunt, quod pulmones putredine rarefiant, & Elastica atque aërea materia repleantur, fiantque aqua leviores. Hinc eo immisi, innant quamquam foetus nunquam respiraverit. Ideoque tales putrescentes pulmones in suspitione Infanticidii nihil probabunt, licet foetus post partum defunctus sit. Putredo autem aliarum foetus partium non valet vim hujus experimenti debilitare, si tantum pulmones eâ putredine sint immunes.

TERTIA REGULA *An inflatione per os ope Folliculi, aliisque modis pulmones post partum non inflati sint, ut mortuis similes suscitant?* Nam saepe mulieres hoc faciunt, dum Nati Syn-copizant, ac non mox respirant, imo ubi jam defuncti sunt.

Quapropter Medici forenses hoc nescientes, nihil probare possunt ex innatante vel subsidente pulmone, nam innatabunt, licet foetus nunquam respiraverit & mortuus natus sit. Scio quidem mulieres Facinus hoc patraturas, nunquam in auxilium vocare hocce aliquando remedium, sed etiam in Foro Juridico non semper quaestio est de fontibus, sed aliquando de Infontibus, quapropter tales casus existere in Medicina Legali queant, & merito haecce cautela requiritur, si res valde sit dubiosa.

QUARTA REGULA *Pulmones eum in finem e cadaveribus excissi debent ab omnibus circumjacentibus partibus accurate purgari.* Uti v. g. a Pericardio, Mediaestino postico, vasis majoribus, quibus cor annexum est. Ratio evidens est, nempe ne Gravitate earum partium pulmones fundum petant & deorsum praecipitentur.

QUINTA REGULA *Larga quantitate aquae purae debent immitti pulmones.* Ne spatium valde angustum sit innaturo vel submersuro pulmoni: Puritas autem aquae requiritur, ut particulis heterogeneis praecipue salinis nec spissior nec gravior fiat, ne pulmones sublevantur.

SEXTA REGULA *Toti pulmones debent primo aquae immitti:* Ad videndum, an tantum aëris hauserint, ut toti innatare possint: vel an tam graves sint, ut licet pro parte aëre repleti fuerint, tamen submergantur?

SEPTIMA REGULA *Deinde in partes vel segmenta debent discindi, & sic aquae immitti.* Ut pateat, an ubique aëre sint repleti? an tantummodo frustula quaedam innatent? aliaque subsidant? nam saepissime tam breve tempus post partum vivit foetus, ut pulmones omni in parte aëre non sint expansi. Quod fere omnes Medicinae legalis auctores confirmant, & experientiâ satis probari queat.

OCTAVA REGULA *Tandem est inquirendum, an frustula illa, quae submersa jacent, aliqua scirrhusa aut indurata substantia, muco tenaci, vel condensato sanguine, aliisque malis, aqua sint graviores & fundum petant?* Nam saepe pulmones hisce malis sunt indurati vel obseffi: In Adultis experientia satis docet,

docet, ut aquae immissi fundum petant uti CLAR. DE HAAN *Part. Alter. Ration. Med. pag. 147. cap. IX.* ter quaterve publice demonstravit notabiles portiones pulmonis adulatorum in aquam injectas fundum petivisse. Ipse experimentum in cadavere adolescentis viginti annorum institui, cujus vasa Bronchialia pulmonis dextri repleta erant purulentâ materiâ flavâ & inodorâ: passim substantia pulmonali induratâ imo quasi lapideâ, ut e corpore exemptus pulmo & aquae immissus, statim fundum petiverit. Alter autem pulmo non tam magna copia purulentae materiae obsessus, tamen magis adhuc induratus, quapropter aquae immissus, eodem modo ut lapis fundum petebat. Deinde ambos dissecai in parva frustula, similiterque aquae immissa, vidi tantum pauca frustula aquae innatantia, sic ut non credam, quartam ejus pulmonis partem aquae innatare. Similes casus narrat Clar. DIEMERBROEKIUS *Oper. omn. Anatom. & Med. pag. 306. cap. XIII.* & HEISTERUS *Observ. Med. Miscell. in Collect. Disput. Select. Anat. Halleri vol. VI. pag. 722.* Quorum posterior vidit induratum pulmonem Infantis tres annorum cum dimidio nati. De veritate horum experimentorum in adultis nemo dubitare potest. Quum a variis auctoribus similia adhuc sunt descripta. Sed hoc scrupulum merito moveri potest, & a variis etiam movetur. An talia exempla in foetu recens nato, (de quo hic sermo est) locum inveniant? nam observationes hoc non confirmant: Verum esse potest, mihi autem non cognitae sunt observationes indurati pulmonis e corpore Infantis recens nati exempti, attamen ab non inventis ad impossibilitatem non valet conclusio. Praeterea casus ille a Clar. Heistero mox allegatus satis ostendit pulmones posse indurari puerili aetate: Et quamdiu quidem illo malo jam laboraverat Infans, antequam defunctus est?

Haecce Regula autem non solum loquitur de induratis vel scirrhis pulmonibus, sed etiam de illis, qui tenaci muco vel condensato sanguine sunt obsessi, quibus specificè aqua graviores fiunt, & ingressui aëris resistere possunt. Exemplum existit in *l'Academie de l'an. 1733. pag. 37, 39, &c.* Quo

pulmo dexter repletus fuerat copiosa quantitate muci, sic ut aquae impositus submergeretur; & praeterea Observatores satis confirmant; saepissime foetum copiosa quantitate tenacis muci in Bronchiis & Faucibus obsessum esse. Quod attinet ad pulmones sanguine repletos: de iis casum refert CLAR. BONNETUS in *sepulchreto Anat. Tom. I. Libr. II. Sect. I.* Ab iis sordibus debet primo purgari: Nam ex talibus pulmonibus nihil certum concludi possunt Medici-forenses & incertum signum praebent.

§. X.

Hisce praescriptis Regulis omni Attentione observatis erunt experimenta & observationes ab omni suspitione destituta, Ideoque quae his non conveniunt, suo loco relinqueamus.

Praeterea licet eo modo experimenta rite sint instituta, caute debemus tamen attendere ad conclusiones ex iis formatas, nam saepe sunt nimis generales, aut speciales, imo aliquando ex iis non profluere queunt. non minus igitur ac in experimentis magna hic prudentia & cautela requiritur, ne temere aliquis procedat. Progrediamur nunc ad ipsa experimenta, atque primo videbimus rationem eorum, scil. cur pulmones aquae injecti innatent vel submergant.

§. XI.

Ratio cur pulmones ex foetu, in utero materno defuncto, aquae injecti subsidant, desumenda est a Respiratione: Quia foetus in utero materno, suisque membranis detentus, nullo modo respirare potest, aut in pulmonibus aërem recipere: Hanc ob causam collapsi atque compacti jacent in Foetus thorace: Hinc ob eam densitatem specificè aqua sunt graviores, atque ei injecti, instar lapidis fundum petunt, nulloque hausti aëris indicium praebent: E contra autem, ubi Foetus sanus & perfectus fuit natus, cum aliis hominibus aëri externo expositus, statim vel paulo post partum pulmones ex-

expanduntur, fiuntque ob inclusum aërem specificè aqua leviores; Hinc aquae injecti innatant, ostendentes infantem illum auram hausisse, & in vel post partum vixisse? uti postea ulterius ostendam. Prius igitur debemus investigare veritatem hujus sententiae, foetum in utero materno non respirare: sunt certe Magni viri, qui difficultates quasdam contra hanc protulerunt sententiam.

§. X I I.

Haec sententia, licet sit verissima, & ratione atque experientiâ fundata, magnam tamen controversiam excitavit inter Doctissimos Viros, Quorum aliqui conati fuerunt ostendere, foetum utero materno oclusum respirare, ultimis mensibus simili modo, ut Pisces in aqua, saltem aërem pulmonibus eo tempore continere. Praecipua argumenta hunc in finem prolata, desumpserunt.

1°. Ex vagitu in utero exaudito, qui sine respiratione fieri haud potest.

2°. Ex Analogiâ, quia pullos in ovo pipientes aliqui audiverunt.

3°. Ex instituto experimento cum vitulo recens nato a Clar. ZELLERO Dissertatione quadam Tubingae edita: Ex alio a Clar. DIEMERBROEKIO de infante communicato.

Sunt haec certe Scolaesticae quaestiones, atque a plerisque & Optimis Physiologis repudiatæ. Nam si ita esset, foetum in Utero oclusum, respirare & Vagire posset: Tunc semper pulmones tam foetuum, quam adultorum, aquae injecti deberent innatare. Quod Experientiae (uti facile demonstrari queat) obstat: Nam foetuum omnium ante nativitatem, mortuorum pulmones subsidunt aqua: Et eorum maxime discrepant pulmones ab iis, qui semel respiraverunt, non tantum in hoc phoenomene, sed etiam respectu coloris, quia pulmones aëre repleti albicantiores sunt illis, qui nondum aërem hauserunt. Quapropter circa primam Oppositionem potius consentio fere omnibus praestantissimis Physiologis, qui de hac re scripserunt & impossibilitatem ejus

de-

demonstraverunt. Inter illos (ne de aliis loquar) allegabo Expertissimi DIEMERBROEKII verba, *ex libro jam citato pag. 236. cap. xxxv.* Qui simul primam quaestionem demonstrabit. Verum (inquit) errarunt omnes, quotquot de Infantis respiratione & vagitu in utero scripserunt, 1^o. enim historiae hac de re notatae, pleraeque descriptae sunt ex relatu muliercularum aliorumque quorundam imperitorum hominum, qui aut sibi ipsis forte nugas quasdam imaginantur; aut saepe etiam studio hujusmodi aliquas fallacias aliis persuadent: Idque eum in finem, ut vel commiseratione quadam commoveant divites (ut plurimum hi vagitus facti notantur in mulieribus pauperculis & misellis, divitum subsidio egentibus) ad lautas Eliomofinas Conferendas: vel ex his aliquid mali ominis harioleantur, sicque fictis suis Vaticiniis nomen sibi concilient apud populum. Vix autem virum aliquem fide dignum & doctum hujusmodi vagitum bona cum attentione audivisse, legimus, 2^o. certum est, neque respirationem, neque vagitum in utero fieri posse sine aëre illis praesente, sed per quas, quaeso, vias aër eo penetrabit? Os enim uteri tam arcte clauditur, ut ne quidem specilli aciem, nec ullius aëris aut Vaporis introitum admittat. Quod propriis observationibus Clar. Auctor. confirmat. Nunc secundum argumentum ex pullis desumptum attingam, Quod aliqui Auctores magni momenti existimaverunt, atque Expertissimus CHARLETON dixit. *Pullum intra ovum integro adhuc cortice respirare, & saepe per biduum ante exclusionem vocem edere, sive pipire, experientia quotidiana docemur: id autem sine aëre non contingit. Cur itaque viviparorum foetus ab utero nondum exclusi similiter non respirent? Nemo certe de aëris per rariarum secundarum texturam ingressu magnopere erit sollicitus, qui eum per solidiorem corticis substantiam facillime transiisse observavit.* Convenit hic etiam Decus illud nostrae scientiae HARVEUS. *De generat. anim. pag. 94. Pullus, inquit, intra ovum non solum vivit, & movetur, sed respirat etiam, ac vocem edit.* Nemo mortalium veritatem horum experimentorum, si unquam fides sit aucto-

etoribus habenda, in dubium revocare valet. Nempe quod Clarissimi hi viri pipientes pullos cortice ovi inclusos audiverunt & quotidiana experientia hoc confirmatur. Verum hic scrupulus mihi tantum superest, scilicet, An quidem illi observatores satis nervose demonstraverint, nullas in cortice fuisse rimulas? Cum paucos tantum dies ante exclusionem pipientes auditi fuerunt Pulli, atque eo tempore distentione, imo ad disruptionem usque corticis facillime aër parvis interstitiis sive rimulis ingredi potuit, & sic ultimis diebus pulli aërem haurire queant. Et ponamus semel, plane cortices ovorum fuisse integros, atque clausos, sic ut nullus aër valeret intrare: Tunc ex Analogia non sequitur foetum utero materno inclusum respirare: Audiamus tantum Expert. HARVEUM cit. Libr. p. 94. *Ovipara & vivipara differunt, inquit, potissimum generationis modo.* Quapropter Analogiam inter ovipara & vivipara nihil hic valere, atque multo minus inter Pullos & Homines, quia differentia non tantum locum habet in generatione, sed pullus jam natus vita perfectiori fruitur, quam reliquorum foetus animalium, nam paullo post nativitatem alimenta quaerunt, assumunt & longo alio modo excrementa procreant, aliaque plura, quae demonstrant analogiam nullomodo hic locum habere posse. De tertia oppositione sive quaestione hic non agam, postea §. XXII. & XXIII. Ulterius eam inquiram.

§. X I I I.

Liquet ex praecedente paragrapho, foetum utero materno inclusum nullomodo respirare. Alia nunc & ardua quaestio sequeretur, quando nempe respiratio incipiat? & quaenam sit ratio & causa primae respirationis? An in aëre vel in foetu sit ponenda? Verum quidem est, quod non facile, imo fere impossibile sit, distinguere, an Thorax primus dilatetur? an aër prius in pulmones intret? Hinc est difficilis, & nondum satis demonstrata controversia; & uti Doct. ZWAMMERDAMMIUS dixit, nempe *quam certum est esse re-*

spirationem, tam abstrusa & difficilis explicatu est illius natura. Hinc veteres atque Recentiores Medici maxime hac in Medicinae parte dissentiunt. Inter iliam autem dissensionem conveniunt, ad sanam pertinere respirationem, non tantum aërem, sed etiam dilatationem, & remissionem Thoracis & Diaphragmatis; quid nunc eorum primo in actum deducatur? an gravitate & Elasticitate aëris Thorax primo expandatur? An actione muscutorum intercostalium, aliorumque five actione diaphragmatis spatium pectoris prius augeatur? mea non refert hic inquirere, & ad scopum hujus dissertationis non pertinet. Nam est certe complicata corporis humani actio, cujus Instrumenta organica vi vitali praedita valent aërem recipere, retinere, atque expellere, nec aër sine illis organis, nec illa sine aëre in actu subsistere possunt. Ideoque quaenam prima causa sit, quis dicet? Nam limites humani ingenii non admittunt arcana naturae perspicere, & melius est, ignorantiam fateri, quam incertas Hypotheses stabilire; quapropter merito dixit VIRGILIUS *Libr. II. Georg.*

Felix qui potuit rerum cognoscere causas.

Ut ad scopum meum redeam, sufficiet, neminem mortalium diu sine respiratione in vita superesse posse. Attamen meum erit ostendere tempus, quando respirationem incipere queat, nam varii auctores dixerunt, foetum nunquam, nisi post partum, incipere aërem haurire. E contra autem ostendam, saepissime ipso in partu respirare, & vocem edere. Hocce certum Dogma confirmabo, ratione, experientia atque Clarissimorum Virorum Auctoritate, scio quidem, multos infantes diu post partum, dum nimirum nimis debiles, Lipothy-mia aliisque malis corripuntur, incipere aërem haurire, sed hic sufficiet, si ostendam aliquando Infantes in ipso partu aërem hausisse, & vocem edidisse. De his nunc videbimus sequenti articulo.

§. XIV.

Praecipua argumenta illorum Auctorum, qui omni animi contentione conati fuerunt demonstrare, foetum nunquam in partu respirare, consistunt in his

1°. Foetus in partu haerens ruptisque membranis, contractione uteri, vaginae, aliarumque circumjacentium partium, tam arcte & vehementer comprimitur, ut Thorax dilatari nequeat, & ideo nec aër intrare, nec pulmones expandi possint:

2°. Probare conantur illam sententiam ex desumptis pulmonibus aqua submergentibus infantum in partu difficili, capite praevio mortuorum & dicunt, si unquam aërem haurire possint, erit omnino eo tempore, cum infans diu in partu haeret.

Primo inspectu magni momenti videntur haec argumenta, nam ambo sunt pro parte vera: Attamen accurata indagatione facillime videbimus, conclusiones ex his formatas nimis generales esse, ideoque limitandas.

§. XV.

Primum argumentum praecedentis articuli ex falsa Hypothesi est desumptum: nam, quaeso, an illa arcta constrictio circumjacentium partium atque uteri toto parturitionis tempore eodem gradu & vigore agat? nonne illa tantummodo fit, quum dolores expellendi foetum augentur & omnes partes spasmodica contractione constringuntur? Nam desinente paroxismo testimonio Obstetricium partes circumjacentes atque uterus sunt laxae, molles & dilatabiles, ideoque simul cum thorace infantis expansiles. Praeterea ponamus, uterum & partes circumjacentes stricte & fortiter inclusum foetum comprehendere. An, quaeso, pulmones tunc pro parte saltem expandi nequeant? Crediderim omnino, nam pulmones collapsi jacentes in cavitate pectoris foetus, non replent totum spatium thoracis, quapropter vacuum inter pulmones

& costas foetus relictum est; hinc ingressui externi aëris non resistere potuerit, & sequitur foetum capite modo nato aërem haurire posse, imo magis mirandum esset, si in partu non respiraret, praesertim, dum nulla obstacula in via irruentis aëris haereant; si igitur ingressus aëris liber & facilis sit, debent omnino pulmones expandi, saltem quantum spatium inter pulmones & Infantis costas admittant, atque licet respiratio non perfecta sit, attamen pro parte fieri posset. Haec sunt argumenta ex ratione formata: videamus nunc quid experientia docet.

Experientia praecedentia omnino confirmat; eum in finem non parvi momenti est Exemplum quoddam a Clarissimo CROESER Prof. Groningensi expertum, testanteque obstetrice, Infantis nempe capite praevio tantum nati, qui vocem in partu edidit (a). Similem casum evulgavit D^{us} IDEMA Medicus Leovardiensis Testimonio obstetricis aliarumque adstantium, quo foetus bis terve in partu ejulavit (b). Hicce casus confirmat RAUKEMA Chirurgus Leovardiensis, & simul narrat casum sibi cognitum de Infante capite nato, qui etiam in ipso partu vocem edidit, uti foemina parturiens audivit, atque confirmavit (c). Et mirandum sane, quod hicce Auctor omni mentis contentione conatus fuerit demonstrare infantem nunquam in partu respirare, vel vocem edere posse; imo eum in finem novam doctrinam in lucem edidisse: dicentem, quod viscera Abdominalia in partu Diaphragma foetus tam vehementer deprimant, visceraque thoracis ad foetus collum comprimant, ut nullomodo agere possint, nisi viscera abdominalia ab iis remota sint, uti post partum fit, atque eo modo ex iis concludit, foetum in partu nihil agere, & uti mola ope matris expellitur: atque simul dicit, respirationem impossibilem esse nisi remotis abdominis visceribus a Diaphragmate post partum, uti quisque ulterius in

(a) CROESER kort ontwerp van de eerste inademing, pag. 23. §. XIV.

(b) IDEMA vervolg over het zinke en dryve der Long, pag. 21.

(c) RAUKEMA Natuurlyke Stellingen, pag. 28.

in ipso libro mox citato legere potest. Haecce sententia haud attingi ob ejus absurditatem meretur, & a Clar. CROESER atque Doct. IDEMA satis nervose refutata: Et praeterea quia nemo nisi unus RAUKEMA, & pauci alii, qui veritatem mordacibus dentibus impetere volunt, talem sententiam proferre potest. Imo ipse illius Fundator confessus est pag. 28. experitam rem esse foetum aliquando in partu respirare. Haec sunt ejus verba vernaculo idiomate: *Dog dat het zoo kan zyn, is een bevonden waarheit.* (scil.) foetum in partu respirare, atque sic suae sententiae apertis verbis obloquitur: Tandem meam sententiam Testimonio variorum Clar. Virorum confirmabo. Inter illa magni momenti sunt verba Celeberrimi BOHNII in libro de Officio Medici duplici, pag. 664. Cap. VI. In Distocia, inquit, non raro evenit, ut ruptis secundinis, ac profusis aquis ambientibus, foetus intra uterum, aliquando adhuc haerens, aëris tantum per vaginam admittere, & intra pulmones suos recipere valeat, quantum ad hos tantisper explicandos, atque natales reddendos sufficit, mortuus nihilominus demum exturbatus. Hic adhuc proferam luminis hujus Academiae verba HERMANNI BOERHAVII in Institut. Med. §. 601. Foetus, inquit, in ipso partus opere assiduis conatibus nitens, simul ac aëri exponitur, Thoracem dilatat: aërem admittit, Pulmones in omnem mensuram explicat. Ne autem longius Auctorum verba describam, tantummodo nomen, & locum annotabo eorum, qui hacce sententia conveniunt. Inter illos inveni Clar. LÖW Theatro Medico Jurid. pag. 633. Cap. XII. de Vulnerib. VERHEYEN Anatom. corp. human. in suppl. pag. 366. tract. V. cap. XVIII. ZWAMMERDAM de respiratione pag. 9. cap. III. sect. I. §. VIII. KULMUS annot. tabul. anatom. pag. 166. BOERNERO Institut. Med. Legal. pag. 253. §. cxcix. DE HAAN Rat. Med part. alter. pag. 149. & alii, qui credunt foetum in partu posse respirare; transeamus nunc ad secundam quaestionem.

§. XVI.

Secunda oppositio §. XIV. desumpta ex pulmonibus Infantum

tum in ipso partu difficili extinctorum, quorum pulmones aquae injecti subsidebant. Huicce oppositioni experientiâ satis probatae & verissimae, non inficias ibo, nisi conclusione ex iis formata, quae omnino est nimis generalis. Nam quid docent ea experimenta? Nihil certe aliud, quam quod non semper foetus in partu aërem hauserit, & aliquando sine accepto aëre mortuus in lucem editus sit, licet vivus in partu aliquod temporis spatium haeserit. Atque eo modo ab utraque parte, uti ex praecedente paragrapho simul patet, nullam generalem conclusionem formari potest. Quapropter periculosissimum est, statuere ex innatante pulmone, foetum post partum respiravisse, & ex subsidente, in utero vel ante partum defunctum fuisse. Imo non minus verum est, quod foetus vivus in lucem editus per aliquod tempus sine respiratione vivere potest, quam verum est, in partu respirare posse: Confirmat hoc Clar. ROEDERER *observ. med.* §. IX. quum ostendat, se inter quinquaginta & quinque foetuum vivorum partus, septem decies vidisse, qui nullomodo nisi post aliquod nativitatis spatium, aërem duxisse, motumque thoracis agitasse. Praeterea saepius jam laudatus BOHNIIUS *libr. citato pag. 666. cap. VI.* Per experientiam, inquit, quotidianam evidens est, quam suam quoque faciunt Domini Medici Wittebergensis in causa seu suspitione Infanticidii renunciantes, adeo languentem partum non raro excludi, ut omnis motus sensus atque respirationis expers per aliquot momenta deprehendatur. Praeterea ipse ille BOHNIIUS in *Dissert. de renunciatione vulnerum pag. 179.* duos casus memorat, qui evidenter ostendunt foetum sine ullo respirationis indicio aliquod tempus post partum vivum manere posse, postea revalescentem In Prato, inquit, agri Torgaviensis anno millesimo sexcentesimo decimo nono, puellam enitebatur meretriculo quaedam, quem ut occultaret, vivam in humum vicinam defodiebat, vivam nihilominus posthac Praetor protrahebat. Pariter anno millesimo sexcentesimo septuagesimo quarto Parentes, quam ex nefario coïtu genuerant Filiam natam mox pannis ac linteaminibus obvolvebant, scrobi in horreo ad profunditatem pedis effoso, imponunt; terra hunc op-
plent

plent & spicarum avenacearum mergitibus coöpereunt; quae tamen misella stupendo fato, post septem horarum intervallum incolumis ac viva eruta ac protracta fuit & parentes, a crudeli Infanticidii flagitio hujusque supplicio liberavit. Sufficit ex his exemplis, quod patet, alios Infantes aliquamdiu post natiuitatem respirationem incipere: alios autem in ipso partu haerentes.

§. X V I I.

Vidimus §. XIV, XV. & XVI. foetum in ipso partus opere posse respirare atque saepissime fieri. E contra etiam praecedenti articulo ostendimus, saepe foetum post partum, imo diu postea incipere aërem haurire. Hinc oritur magna quaestio, quia multi praestantissimi viri inter se quidem conveniunt, foetum in partu difficili capite praevio respirare & vagire posse eo modo, uti vidimus praecedentibus: Nam omnes casus (dicunt), hunc in finem prolati sunt de partu difficili, quapropter negant, hoc ita perfici in tali negotio, quale est clam parientium & partum sine auxilio edentium, cum casus alius in quaestionem (uti perhibent) nunquam veniat, quam qui facilem partem involvit, ideoque in Foro non obvenire. Haec conclusio non demonstrata est, nempe quod omnes casus forenses circa dubium Infanticidium esse de Mulieribus clam parturientibus, saepissime enim una vel, altera foemina, aut obstetrix in partu opem praestat, uti ex casibus allegatis. Clar. BOHNII *In Dissert. de vuln.* Pag. 173. & pag. 181. atque VALENTINI *Corp. juris medico legale* pag. 497. *De Infant. cas.* VII. & pag. 498. *cas.* VIII. evedenter innotescit. Ex quibus quisque videre potest, amicam quandam non solum, sed obstetricem saepe opem praestare parturienti. Praeterea foemina clam partura non praevidere valet, an partus futurus sit difficilis nec ne? Igitur ubi tempus parturitionis adest, possunt obstacula oriri, quibus partus, licet caput praevium sit, non statim & facillime absolvitur, sed quae moram aliquam pro foetu in partu haerenti admittunt, uti v. g. dum.

1°. Hu-

- 1°. Humeri foetus paulo latiores respectu pelvis sunt:
 - 2°. Si situs infantis lateralis sit, ut unus humerus paulo versus pubem, alter versus os sacrum vergeat:
 - 3°. Quando Funiculus umbilicalis paulo brevior sit, quam requiritur:
 - 4°. Quum Funiculus circa Infantis collum sit convolutus vel contortus:
 - 5°. Dum uteri vel vaginae orificium circa foetus collum spasmodice sit contractum:
 - 6°. Quum foetus vel foemina vel ambae nimis debiles sint:
 - 7°. Si spasmodici dolores foetum expellendi nimis tardi, aut debiles sint:
 - 8°. Si foetus primis dolorum paroxysmis, quasi uno ictu, capite extra uteri os prodeat, & sic aliquamdiu maneat, donec sequentibus paroxysmis ulterius partus obsolvatur:
 - 9°. Ubi ruptis membranis Amnii & Chorii, contenti earum humores nimis cito defluant:
- Haec sunt praecipua obstacula, quae aliquando possunt tam gravia esse, ut mulier parturiens sine obstetricis, aut alius foeminae auxilio partum absolvere non possit. Aliquando etiam sunt tam levia, ut licet partus non facillime procedat, tamen sine adjumento eum ad finem perducatur: primo quia non semper occasio permittit auxilium quaerendi: Secundo truculenta manu procedunt partum obsolvendo & decretum facinus perpetrando, ne ab aliis res percipiatur ignominiae vitandae causa, & ut furtivam venerem celarent. Quapropter obstinata opinione, atque dolore & anxietate coactae pergunt foetum expellere, propriisque manibus extrahere. Igitur merito hanc conclusionem produco, Infanticidium non semper supponere partum facilem fuisse, & matrem sine auxilio foetum exclusisse. Hanc ob causam certum est foetum eodem modo (uti in praecedentibus ostendimus) foeminae clanculum parturientis in ipso partus opere respirare posse, saltem aërem haurire. Hinc innatio pulmonum in ejusmodi casu certum signum non praebet, fo-

foetum, post partum vixisse. Absolvimus igitur ostendere possibilitatem respirationis infantis in partu, capite praevio haerentis, si modo non valde facilis sit. Quâ possibilitate impotentiam experimenti cum pulmonibus instituti patet, & sic in Infanticidii suspitione sine aliis indiciis nihil hoc experimentum gravare, vel levare potest reum, facillime igitur erit in sequentibus valorem innatantis vel subsidentis pulmonis ostendere, si modo L. B. attento animo praecedentia legat. Ideoque paucis verbis conclusiones ex praemissis formabo.

§. X V I I I.

Si nunc Medici atque Chirurgi forenses Judicium suum debeant proferre, respectu dubii Infanticidii, ideoque caute & conscientiose omnia indagare & deponere Judicibus, quae in foetu inveniunt, sic autem, ne aggravent infantes, & fontes levent, atque praeterea si simul credant, Deum *Καθ' ἑαυτὸν* nobis adesse, & factorum nostrorum omnium inspectorem esse oculatissimum, sique contra veritatem & aequitatis legem sententiam tulerimus, vindicem severissimum, si pro veritate steterimus, fautorem & remuneratorem benignissimum. Magnum quippe crimen est impietatis plenissimum, cum qui a mortis poena liberari potest, falso atque iniquo testimonio reum facere. Quis nunc mortalium bono animo ex Innatante pulmone Infantis recens nati sine ullis aliis indiciis, vel circumstantiis concludere auderet, talem foetum vixisse post partum, & violenta manu necatum esse, uti varii auctores fecerunt. Mihi videtur tantum hocce experimentum probare, si requisita prudentia sit institutum uti in §. IX. & X. diximus, talem foetum aërem in aut post partum hausisse, nullomodo sine aliis signis necatum vel vivum in lucem editum esse, nam §. XIII, XIV, XV, XVI & XVII. demonstravi foetum in partu posse spiritum ducere, & pulmones expandi, ideoque aquae injecti innatabunt pulmones, & licet tunc mortuus natus sit sine matris culpa, vel cum culpa, innatantes semper habebit pulmones.

D

Hanc

Hanc ob causam si nullae lethales laesiones oculis simul occurrant, vel aliae circumstantiae, experimentum hoc cum pulmonibus nullius momenti erit respectu Infanticidii reum aggravandi. Et non dubito quin in casu dubii Infanticidii si crimen perpetratum sit, plerumque alia signa simul concurrant, quae suspicionem augment & adjuvant ad eruendam criminis veritatem, praesertim si certi simus de requisita prudentia §. IX. memorata. Atque tali in negotio experimentum innatantis pulmonis junctum cum clarioribus signis quam maxime confirmat, foetum trucidatum esse. Vidimus potentiam innatantis pulmonis. transeamus nunc ad subsidentem.

§. X I X.

Potentia subsidentis pulmonis Infantis recens nati, si experimentum sit institutum requisita prudentia secundum praescriptas regulas §. IX & X, mihi videtur in eo tantum consistere, quod tales subsidentes pulmones ostendant foetum nondum aërem hausisse. Nullomodo (uti varii auctores fecerunt), ante partum in utero defunctum fuisse, & matrem sine culpa esse. Nam ostendimus §. XVI. foetum saepissime vivum in lucem prodire sine ullo vitae aut respirationis indicio atque eo modo aliquot temporis intervallum manere, antequam respiratio incipiat; Quapropter quisque facile videre potest, malitiosam matrem posse foetum vivum natum ante respirationem occidere & suffocare, cujus pulmo aquae injectus subsidit, licet violenta manu foetus sit extinctus. Praeterea foemina clanculum parturiens animo occidendi infantis sui negotiosa, quem vivum adhuc esse sentit, partum impediat, exitum ejus reprimat, & retardet efficiatque, ut interea infans enervetur, & ante partum exspiret, indeque mortuus prodeat, tali in partu si nondum respiravit foetus, subsidentes pulmones experimentum praebent. Nemo tamen inficias ibit, illum violenta manu trucidatum esse: Quapropter subsidentia pulmonum eodem modo, ac eorum innatio, nihil certi docet levando dubium Infanticidum sine aliis indiciis, nam
cri-

crimen perpetrari potest in vel post partum licet pulmones subsidant.

§. XX.

Ex praemissis clare liquet. Quod subsidentes in aqua pulmones Infantis recens nati nullum certum & expertum signum praebent, foetum mortuum natum esse, ideoque ab Infanticidii suspitione reum non liberant, nisi alia signa concurrant, neque Innatantes in aqua pulmones testimonium praebent, foetum vivum in lucem editum esse, nec etiam crimen Infanticidii perpetratum esse, nisi alia plura signa consentiant. Hacce in sententia plerumque Auctores, qui de ea re scripserunt, omni in parte plane non conveniunt; quas differentias omnes annumerare mihi nec opus videtur, nec limites hujus speciminis admittunt: praeterea ex praecedentibus, facillime dissolvi & intelligi possunt. Attamen paucis verbis dicam: quod multi Medicinae Legalis scriptores mecum conveniant circa subsidentis pulmonis potentiam in §. XIX. prolatam. Sed pro firmo signo venditant, vivos in lucem editos esse, imo post partum vixisse, quorum pulmones aquae innatant, & multi simul confirmant, testimonium Infanticidii praebere. Si autem quis attento animo & ab omni praejudicio vacuo §. XIII. ad XIX. consideret, tunc sine magno labore videbit, absurditatem ejus conclusionis ex Innatante pulmone & simul quod experienciâ & ratione non convenit.

Absolvi nunc ea, quae ex innatante vel subsidente pulmone sunt deducenda, quatenus experienciâ conveniunt: Priusquam autem finem huic dissertationi impono, paucas momentosas difficultates proponam ad elucidationem praecedentium.

§. XXI.

Memoravi passim in praemissis §. quod laesiones lethales simul debent concurrere cum innatante pulmone, antequam certum Infanticidii testimonium praebere poterit. Sed mihi videtur, hic aliquam distinctionem locum habere inter illas

lethales laesiones, nam illae possunt lethales esse sine matris culpa, ideoque Medici prudenter debent procedere suum iudicium deposituri, & priusquam indagare omni attentione, quaenam circumstantiae ante, in vel post partum sint exortae, antequam certum Infanticidii testimonium praebent, quapropter debent inquirere, si graves laesiones in foetu inveniunt, an non partus nimis facilis & inopinatus fuerit? mira certe res, minime autem est negligenda: Nam quod partus celeris & inopinatus prodire, procedere & absolvi potest, sic ut foetus quasi uno ictu expellatur, & in terram vel pavementum cadat, nemo inficias ibit. Confirmat hoc experientia quotidiana, & simul Auctores, qui de arte obstetricandi scripserunt. Et mihi tres casus parturientium cogniti sunt, quarum foetus, antequam obstetrix, aliaeque foeminae accessitae essent, in terram delapsi erant sine ullo auxilio; imo unus eorum foetuum a funiculo umbilicali disruptus in pavementum procidit. Hoc posito, non impossibile videtur, si talis foetus lapsu laesiones acquireret lethales, quibus eo tempore aut paulo post vita destituitur: Vel etiam quum rudiori manu perturbationis & anxietatis causa, dum foetum in terram delapsum prehendant foeminae, removeant, ideoque commovendo laedant. Hanc ob causam patet, foetum absque matris culpa violenter vita destitui posse, & tali in casu experimenta cum pulmonibus instituta nihil confirmare possunt ad dijudicandum Infanticidium: Sed merito quis rogare potest, an talis casus in Medicina Legali, de quo hic sermo est, locum habere queat? Credo omnino: 1°. quia, ut jam dixi Reg. III. §. IX., non semper in Foro Juridico quaestio oritur de fontibus, sed etiam de insontibus, atque hoc in casu, quoniam tunc non testes adsint, facillime potest incidere mater in suspicionem Infanticidii. 2°. Foeminae clanculum parturae simile quid contingere potest, quum in animo ejus decrevit, puerum exponere (belgice *Ter vondeling leggen*) vel ad alium locum transmittere, ut spurium celaret, si nunc inopinato & celeri partu laesiones lethales accipiat foetus, certum tunc est, crimen Infanticidii non perpetravisse,

visse, & talis foemina extra Interfectricis culpam erit. Quapropter concludo, in dubio casu de hac re cogitare debere Medicos forenses, ne infantes poenas acciperent. transgrediamur nunc ad alia.

§. XII.

Magni momenti a longo tempore fuit apud Auctores observatio quaedam in vitulo a Clar. ZELLERO instituta, atque erudito orbi communicata, dissertatione Tubingae edita sub Titulo: *Infanticidas non absolvit, nec a tortura liberat, nec respirationem foetus in utero tollit: Pulmonum Infantis in aqua subsidencia.* Postea edita est a Clar. HALLERO in *Collect. Dissert. Select. Anat. tom. v. pag. 533.* ut quisque vim ejus observationis videret, non inutile foret eam verbis Auctoris prius L. B. amplificare, quatenus ad meum scopum pertinet: *Accidit, inquit, ut vicinae cujusdam ancillae parturientem vaccam, licet debito tempore nondum elapso observaret. Viribus vero (in mediis doloribus & pedibus duobus vituli jamjam prominentibus) destitutae in auxilium vocat alium vicinum hujus rei peritum, qui tandem vitulum extraxit violenter, & in proximis straminibus reposuit. Ubi per dimidia horae spatium vixit, & crebris anhelitibus, fortiorique abdominis motu, qualis fere est equorum delassatorum respirare se testatus est, obiit tamen postea. In abdominis musculis humorem gelatinosum satis magna deprehendimus copia. In cavo abdominis multum aquae, in Thorace minus, pulmones tamen bene constitutos non quidem rubicundos adeo, sed tamen etiam non pallentes, qui exscissi & in cupam satis magnam aqua plenam injecti lapidis instar fundum petebant, & in quavis autem quantitate aquae pulmones nostros, mergi vidimus omnes. Inflavimus postea pulmones nostros, & non nisi repetita inflatione, robusti etiam pectoris ope, eos satis distendere licuit, singulis tamen vicibus aquae rursus injecti, prout magis vel minus inflati erant, fundum etiam petebant.*

PORRO: Inter lobulos etiam erat unus, prae aliis crassus, ac pellucidus, qui feri, in thorace contenti similem aquam vel

mucum continere videbatur, quem prout reliquos inflare non licuit, vidimus quidem aëris aliquid misceri mucosae isti materiae, vesiculas autem non nisi parumper expandi, adeo ut potius rumperentur quam distendi se paterentur.

Ex hocce casu Auctor & alii demonstrare voluerunt, foetum in utero materno ultimis mensibus aërem in pulmonibus retinere, ut jam diximus §. XII. ; Ideoque nullum signum praebere subsidentes pulmones, Infantem nondum respiravisse in partu vel post eum, quoniam in utero pulmones aërem continent, non video, quare noster Celeberrimus Auctor ex hac observatione Secundam & tertiam conclusionem in ejus dissertatione deducere potuerit, quid enim probet? mihi videtur eam tantum confirmare pulmonum subsidentiam, non expertum signum praebere, foetum mortuum natum esse, imo hicce casus est revera nullius momenti, & omnia Phœnomena facile sunt explicatu, nihilque peculiare vel mirabile in se possident. Nam vitulus ille fuit imperfectus atque ob praematuram & laboriosam parturitionem valde debilis. Organa ejus nondum perfecta & satis fortia habuerit ad actionem suam exercendam, ideoque etiam pulmones: Praeterea Autopsiâ cadaveris patet totum corpus fuisse materia quadam glutinosa & tenaci obsessum praecipue etiam pulmones, vasaque Bronchialia imo ei fuerint tam infarcta isto mucu, ut licet repetita & violenta inflatione conatus fuerit Auctor eos expandere, nihilominus tamen aquae injecti fundum petebant. Nec mirum, nam Auctor memorat sequentia. Lobulos pulmonales & praecipue unum eorum fuisse repletos ista mucosa materie, sit ut aër cum mucu forte inflatione mixtus esset, & vesiculae pulmonales parumper expandi. Quapropter mucositate & densitate eorum aqua fuisse graviores, & ei injectos submersisse, attamen dicunt alii vitulus tamen vixit imo respiravit per dimidium horae, ideoque aëre repleti fuerunt pulmones: sed potius anhelavit, quam respiravit, & cur? an hic sequitur pulmones ultimis mensibus in utero aërem continere, quo apti sunt ad respirationem? credo minime, nam toto illo tempore post partum pulmones fuerunt pro parte expansi, & pauca
aëris

aëris quantitate repleti. Quantum vires vituli & capacitatem pulmonum permittebant, quibus anhelare, fortiorique motu abdomen agitare valuit, donec tandem mala constitutione pulmonum, & exhaustis corporis viribus obierit; Igitur haecce observatio non docet, foetum utero materno aërem in pulmonibus retinere, nec etiam ad aliquid stabiliendum respectu experimenti cum pulmonibus, nam observatio non convenit requisitae prudentiae Reg. IV. & VII. §. IX. commendatae, nam auctor non memorat se pulmones in frustula discindisse.

Duos similes priori casus divulgavit saepius jam laudatus BOHNIUS libro citato pag. 669. cap. VI, Sic audiunt, primus est, *Infantis post sui nativitatem aliquot vicibus evidenter vagientis, hinc respirantis vivi clandestine sepulti, ac denuo eruti pulmones aquae, cui injecti, pariter prompte submersos fuisse, subnecto his casum Infanticidii, superioribus annis decisioni scabinatus hujus loci inclyti expositum, in quo mater truculenta Infanticidum primo pertinaciter negabat, favebantque illius negationi pulmones nati in aqua subsidentes huncque in utero defunctum innuentes: postmodum nihilominus, se partum vivum enixum fuisse, eundemque enacesse fatebatur & ad ultimum usque supplicium constantissime asseverabat.*

Hi bini posteriores casus eodem modo, ac prius, nihil mihi contra positam sententiam videntur probare, & potius loco suo relinquam, quia Reg. I, IV, & VII. §. IX. non respondent; nam non dubito, quin in priori casu si pulmones in frustula discissi & aquae injecti fuissent, omnia ea frustula fundum non petivissent & in posteriori casu confirmatur, foetum vivum natum ante respirationem trucidari posse, & sic testimonium praebet, de eo, quod §. XIX. diximus circa inefficiam subsidentis pulmonis.

§. XXIII.

Est adhuc altera & magis speciosa difficultas a Clar. DIEMERBROECKIO inventa, & opere suo anat. pag. 307. cap. XIII. communicata Erudito orbi. *Mense Novembri 1666, inquit, in foetu maturo, paulo ante partum in utero extincto, colorem qui-*

quidem aliquanto magis rubicundum, quam in adultis, sed tamen nonnihil variegatum, seu cinereum reperi, talemque substantiae mollitiem ac spongiositatem, ut aquae injectus pulmo minime subsideret, sed nataret.

Varii Auctores dicunt, ex illo casu lucide patere foetum utero materno inclusum aërem in pulmonibus ultimis mensibus retinere & acquirere. Alii autem, qui hoc non credunt, pro miraculo Naturae venditaverunt, & ideo limites humani ingenii non permittunt, eum casum percipere. Quidquid etiam de hoc casu dixerint Auctores nunquam pro miraculo naturae habeo, nec etiam ex eo cogitabo, foetum in utero aërem in pulmonibus recipere uti ipse Clar. Auctor non fecit, e contra quam maxime refutavit illam sententiam, uti patet ex §. XII. sed potius mihi videtur Clar. Auctor de omnibus circumstantiis circa parturitionem ejus infantis non satis informatus fuisse, nam hoc certum est, pulmones aërem in se retinuisse & in vel post partum recipisse, quapropter loco suo relinquam, nam hic requirebatur, ut certi essemus de requisita cautela in reg. III. §. IX. praescripta. Sic etiam num partus fuit difficilis, nec ne? & alias difficultates hic proferri possunt, attamen adhuc dicam conclusionem non valere a particulari casu ad generales.

§. X X I V.

Haec sunt, quae de hac materie dicenda habeo, ideoque finem L. B. huic dissertationi imponam; multa certe utilia supersunt, quae sicco pede inattaeta reliqui, attamen sine magno labore ex praemissis intelligi possunt; Nam praesertim animi mei fuit illam sententiam, quam amplecto, defendere, saltem quantum potui pro viribus meis immaturis. Hinc quaestiones variasque Auctorum sententias non omnes enumeravi, nihilominus mihi semper gratum erit, meliorem & veritate convenientiorem sententiam produci, tandem L. B. etiam atque etiam oro, quaesoque, ut errores & Stylum hujus dissertationis tranquillo animo emendes & ignoscas, si autem quaedam non indigna prorsus reperiantur. Veniam pro laude peto.

T A N T U M.

COROLLARIA.

I.

Nullam vim possidet ad dijudicandum Infantidium, Pulmonum Innatatio vel Subsidentia Infantis recens nati.

II.

Foetus utero materno, integrisque membranis occlusus, nullomodo respirare vel vagire potest.

III.

Ruptis membranis, & capite praevio potest foetus in partu respirare & vagire.

IV.

Certum judicium praebet foetum in vel post partum aërem accepisse, Pulmonum Innatatio.

E

V.

*Testimonium ostendit totius pulmonis Subsidentia,
foetum ante respirationem defunctum esse.*

V I.

*Expertum signum vivi mortuive nati, non prae-
bet Pulmonum Innatatio vel Submersio.*

JUVENI CARISSIMO
ARNOLDO VAN DE LAAR,

S. P. D.

RENATUS VAN NOORD.

Quam legis, a caro tibi litera, venit amico,
Quem, licet invitum, Frisius orbis habet.

Ne, quamvis a te distem regione, viderer

Mutua amicitiae spernere vincla bonae.

Poscis, ut, Aönio lectis de vertice fertis,

Exornem nitidas frondis honore comas;

Quodque tuis studiis & Leida laboribus aequa

Contulit, extollam carminis arte, decus.

Scis bene quid poscis? si nescis! accipe, quid sit

Vatis ab ingenio poscere laudis opus.

Nec volo te falli: dare nam speciosa sodali

Verba, cui pateant pectora, turpe puto.

Laudatoris in hoc versatur cura poetæ

Prima, tibi ignotum fingat ut ille genus.

Non proprio te patre, canunt sed Apolline natum,
Aut alio, metri pro ratione, Deo.

Jam cupis opus est: jam nutrix poscitur alma,
Suscipit officium saepe Minerva bonum.

Saepe tamen, fateor, lex carminis abnegat illam,
Inque locum Divae Calliopea venis;

Seu formosa Erato, seu pulcri mater amoris,

Ut faveat numeris illa vel illa magis.

Jam tibi nutricem lepidi finxere poëtae,

Jam te Sicaniis excipit illa favis.

Interea crescis; jam Praeceptoris egenti.

Prospicit ex Divum vena cohorte ferax.

Si medicas amor est addiscere gnaviter artes,

Ipsæ tuus Genitor monstrat amicus iter.

Si magis arridet legum Prudentia votis,

Ipsa Themis doctas larga recludit opes.

Jamque aderit tempus; claros Doctoris honores

Adgredere, & merita cingere fronde caput.

Invenies aliquot, qui nectant, ferta, poëtas,

Quique tuas laudes ingeniumque ferant.

Ante tamen Phoebo, doctisque sororibus, ante

Dote tua, vini Bacche repertor, opus.

Haec ubi deficiant bona Numina, nil nisi questus

Parturit, aut nimio frigore vena fileat.

Cui

Cui tamen invitis minus est litare Camoenis,
Quam quae dona cupis parva negare tibi;
Non semel Aönidum praeceps licet actus ab ira
Adscendet Clarii culmina summa jugi;
Indeque marcentes carpens violasque rofasque,
Quas sprevit genio nobiliore potens;
Serta leget; partosque tibi furibundus honores,
Hippocratisque pares Boerhaviiue canet.
Talibus atque aliis, gens ingeniosa, poëtae
Extollent laudes, dulcis amice, tuas
Haec tu, si sapias, vani figmenta cerebri,
Haec tu stultitiam quisquiliisque puta.
Suscipe duntaxat sincero e pectore vota,
Quae dat amicorum grata caterva tibi.
In quibus haud parvum, Dîs gloria! nomen adeptus.
Gratulor ingenio praemia parta tuo.
Interea laeti dum fausta precantur amici,
Absentis cyatho fac meminisse, Vale.

Scribebam Leovardiae
die 22. Martii
1759.

DOCTISSIMO AC PRAESTANTISSIMO

VIRO-JUVENI

ARNOLDO VAN DE LAAR,

Cum Med. Doct. crearetur,

Ludor? an e Lauro fertum tibi tempora cingit?

Mens tua laetitiam signaque vultus habet.

Non est, quod dubitem non me mea lumina fallunt,

Artis Apollineae Doctor, amice, redis.

Gaude forte tua, titulo decoratus honoris,

Virtutis recipis praemia digna tuae.

Non opus est alacrem studii depingere cursum,

Hoc tua demonstrat pagina docta fatis.

Impiger evolvis, quae te docuere Magistri,

Et sequeris Celebres sedulitate viros.

Quam bene novisti Themidem conjungere Phoebos!

O quantum hi nexus utilitatis habent!

Quis

Quis tua pro meritis cantet praeconia laudis;

Dum tua te virtus tollet ad astra poli!

Laeta exantlatos exspectans Haga labores

Ingenio nutrix obsequiosa tuo est.

Perge, ARNOLDE, tuis coeptis superaddere finem;

Et tibi propositas accelerare vias;

Perge bonis avibus, jam noli sistere cursum;

Nomen in aeterna posteritate feres.

Maacte nova virtute: Deus bene coepta secundet,

Ut valeas studiis inclytus esse tuis.

Det tibi successus faustos Moderator Olympi;

Prospera sit Praxis, prospera quaeque fluant:

Mutua perpetuo jungant nos foedera vinclo,

Jure sodalitii crescere pergat amor.

Nos pietas, nos cana fides, nos ardor honesti

Certatim manibus tempus in omne ferant.

I nunc, quo virtus tua te vocat, I pede fausto,

Grandia laturus praemia, vive, vale.

ALB. LENTFRINCK

Med. Stud.

A F S C H E I D S G R O E T E ,
DEN WELEDELEN , ZEER GELEERDEN
H E E R
A R N O L D U S V A N D E L A A R ,

Toen zyn Wel-Ed. tot Dóctor in de Medicynen
bevordert, van hier naar s'Gravenhage vertrok.

*G*y gaat dan heen, myn Vriend, en ik in 't hart bewogen
Zie by uw droef vertrek U na met treurende oogen:
ô Vriendschap! Hemelgaef, die byblyft tot in 't graf!
In deezen blyden stond perst gy my traenen af.
Wat baet het of ik U in top van eer verheeven
Met lof zie Leidens muur en Hooge School begeeven?
Wat baet het of ik U tot loon van uwe vlyt
Den welverdienden prys in 't eind zie toegewyd?
Daer al dat zoet vermaek, dat nooit weerom zal komen,
Uw' heuchblyke ommevang my daer door word benomen,
Daer 't my verliezen doet een Boezemvriend zoo waerd
Wiens ongekreukte trouw en vriendenminnende aert
Zoo vaek is aen myn hart in raed en daed gebleeken,
Geen heilig Dichtvier kan myn bange borst ontsteeken;
't Past koele vriendschap best in vaers en vol cieraed
Uw lof té melden, of op ongewoone maet

*Te zingen, hoe de Rhyn, (schoon 't niemand zal bestryden)
De hooge muuren kust van het beroemde Leiden,
Hoe menig uit zyn Choor een groenen lauwer draegt,
Of gissen, welk een naem die Stadt het meest behaegt
Myn' Zangster zonder tooi met onbeschaefde veder
Legt 't hart eens waren vrienden alleen voor u ter neder;
Zy ziet al schreijende u haer open arm ontvliên.
Wat droevig afscheid! ach! indien het kon geschien!
Maer zacht! schoon ons het lot elkander doet begeeven,
De zachte Vriendschaps band zal steeds onschienbaer leeven
Uw trouw verzekert dit, waar toe dan met myn klacht
Ontydig hind'ring aan uw vreugde toegebracht.
Keer weêr, Myn Vriend, keer weêr by 't vrolyk handeklappen
Om in het Tempelchoor van Esculaap te stappen.
Keer weêr, daar uwe plicht en Oud'ren wensch u noopt,
Daar 't droeve menschdom op uw wyze hulpe hoopt.
Denk steeds om uwen Vriend, geniet een heilryk leeven
Laat uwen groote naam door Neêrlands streken zweeven:
Dit doet m'uw' schrandre geest, uw' onvermoeide vlyt
Het eelste van uw' jeugd Geneeskunst toegewyd
Met recht vertrouwen, . . . maer kan hier bewys ontbreken?
Daer van uw eersteling de gulde bladen spreken
Waar in g' een Rechter, met een onbevlekt gemoed
De Misdad straffen leert, en d'Onschuld spaaren doet.*

Uit Vriendschap.

TER INHULDIGINGE
VAN DEN
HEERE
ARNOLDUS VAN DE LAAR,

Tot Doct'or in de Geneeskunde.

— Tandem bona causa triumphat.

*K*on U, myn waarde Vrind! myn zangeres behaagen,
Hoe zou zy van uw Eer, en van uw roem gewaagen
Op deezen blyden dag, die met een dubb'len glans,
Als t' uwer Eere glimt aan 's Hemels hoogen trans!
Maar zy, des ongewoon, wil liefst haar lust bepaalen,
Dan door een laf gevley uw ongunst op zich haalen.
De vrindschap echter noopt haar tot een vreugd-zang aan,
Nu op uw breinryk hoofd een krans van Lauwer-blaân,
U door Apoll' vereerd in Pallas Tempel-zaalen,
Met zulken luister prykt, die, hoe de nyd mag smaalen,

Uw

*Uw naam bewaaren zal voor 't roesten van den tyd.
Geen wonder ook! dit was van uwen noesten vlyt,
En need'righeit, gepaart met zuiv're deugd, te wachten.
Zoo loff'lyk een gedrag kon Febus niet verachten.
Die grond der wysheit dus in 's leevens jeugd geleit,
Schiets Hemel-vruchten uit tot aan d'onsterff'lykheit!
In die hoop, en tot troost van die uw raad verlangen,
Zal uw geboorte Stad U van den Rbyn ontvangen.
Verstrekt hun een Galeen, een wyze Hippocraat!
Dien 't in zyn Artzeny steeds naar zyn wenschen gaat.
Zo zal de dood eerlang voor uw geleerdheit zwichten.
En op dat sterke schilt verbreeken al haar schichten!
Zo neeme uw Luister toe, uw reeds bekende naam
Word over al verspreid op wieken van de Faam.*

εις Φίλιας τεκμήριον.

Haec, invitâ licet Minerva, cecinit
ADRIANUS VAN DER BORST,
Hum. Art. Stud.

Wat men bezonnen zal voor 't welken van den tijd
Gaat, wanneer ook dit van den weeten wij,
En menigheit, geprent met ziele's deugd, te conuenen.
Zoo lof' ik een gedag van loven niet conuenen.
Die grond der wysheit dat in 't laatste seugd geleit,
Schiet licht, verduiden mit tot een d'ouder wijsheit!
In de hoop, en tot troost van die een raad conuenen,
Zal ons geleide stel U van den tijd conuenen.
Verstelt dan een Galien, een wijst Hippocraet!
Dien 't in zyn d'ouder seugd want zyn conuenen gaat.
Zoo zal de heid verhang voor u'd geleide seugd conuenen.
En op dat sterke seugd versterken al haar seugden!
Zoo neemt men luster toe, een seugd bekende naam
Werd over al versterk op wiken van de luster.

de Phineas tekenen
Haec, inquit, licet Minerva, coelestis
ADRIANUS VAN DER FORST.
Lam. Art. 2nd.